444
444
E 5
E
5

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 5

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 5

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 5

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 5

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 5

444 E. 5.

DISPUTATIO JURIDICA
DE
TRADITIONIBUS
PRIMA.

AD

§. 40. & 4. ſeqq. Inſt. de Rer. Diviſ.

In qua ſimul explicantur & antiquitates & mores hodierni.

QUAM

SUMMO NUMINE ANNUENTE

PRÆSIDE


VIRO CLARISSIMO

D. ANTONIO MATTHÆO

Publice defendet

Ad diem Martii 27. hora locoque ſolitis.

GASPAR COPES Sylvâ-Brabant.



KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

LUGD. BATAV.
Apud DANIELEM à GAESBEECK.
M D C LXXX.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 5

GRAVISIIMIS, CONSULTISSIMIS

VIRIS

D. GISBERTO CUPERO REIPUBLLICÆ DAVENTRIENSIS CONSULI, HUMANIORUM LITERARUM PROFESSORI IN GYMNASIO DAVENTRIENSIUM ILLUSTRI.

D. ANTONIO MATTHÆO J. U. D. EJUSDEMQUE FACULTATIS IN ILLUSTRI ACADEMIA LUGDUNO BATAVA PROFESSORI ORDINARIO.

OB STUDIORUM MEORUM CURAM
PROLIXUM ERGA ME FAVOREM ET VOLUNTATEM
DISPUTATIONEM HANC JURIDICAM
PIETATIS. OBSERVANTIÆ, AMORIS
ÆTERNI MONUMENTUM
GASPAR COPES
SYLVA DUCENSIS
SACRAM FACIT.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 5

DISPUTATIO JURIDICA
DE
TRADITIONIBUS
AD
§. 40. & 4. ſeqq. Inſt. de Rer. Diviſ.

PARAGRAPH. XL.

Per traditionem quoque jure naturali res nobis acquiruntur. Nihil enim tam conveniens naturali æquitati, quam voluntatem domini volentis rem ſuam in alium transferre, ratam haberi, & ideo cujuſcunque generis ſit corporalis res, tradi poteſt &c.

Per traditionem. Traditio eſt modus acquirendi ex jure gentium, quo rei poſſeſſio à vero rei domino animo alienandi & ex cauſa habili ad transferendum dominium in accipientem transfertur *h. §.* Cuj. 11. *obſ.* 19. Dico *rei poſſeſsio*, quia citra poſſeſſionem, cum loquimur de traditione, dominium non tranſit, *l.* 3. *pr.* & *§.* 1. *ff. de act. empt. l. ſi pater* 8. *C. eod. l. qui prædium* 13. *C. de diſtr. pign. l. cum res* 12. *C. de prob.* Cont. 1. *diſp.* 9. Hotom. *illuſtr. quæſt.* 11. Bachov. *h.* Tranſit quidem legatum, & tranſit ſtatim in legatarium, cum teſtator deceſſit, licet nondum legatarius ſit legati poſſeſſor, *l.* 80. *ff. de leg.* 2. *l.* 64. *ff. de furt.* Tranſit ſtatim etiam hereditas, ſimulac heres eam adiit, etiam citra poſſeſſionem, *l. cum heredes* 23. *pr. ff. de acq. poſſeſſ.* Nam poſſeſſio niſi apprehenſa ad eum non pertinet, *d. l.* Sed diverſi hi ſunt modi acquirendi dominia, aditio hereditatis, legatum, traditio. Ex jure civili ſunt aditio, & legatum, *§. ult. Inſt. per qu. perſ. cu. acq. junct. §. ult. Inſt. de uſ. & hab.* Traditio ex jure gentium, *h. §.* Dico *vero rei domino.* Nam ſi non dominus rem tradat

 non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 5

non tranſit dominium, *l. 54. ff. de reg. jur.* Tranſit tantum poſſeſſio *pr. Inſt. de uſucap. junct. l. 25. ff. de uſucap. l. 115. ff. de verb. ſign.* Et ſi quæratur, quæ poſſeſſio, videndum, an ſcienti, an ignoranti res tradita. Si ſcienti, naturalis. Civilis, ſi ignoranti, *l. 109. ff. de verb. ſign.* Sed nec ſemper id verum, quod re tradita à non domino dominium non tranſeat. Caſus ſunt, quibus tranſit, *§. ult. Inſt. de uſucap. §. 1. Inſt. Qu. al. lic. vel non.* Et quid ſi tradat quis juſſu domini? Quid ſi tutor rem pupilli, curator rem minoris, procurator rem domini, *§. nihil autem Inſt. h. t. l. 157. ff. de reg. jur?* Dico porro *animo alienandi dominii.* Nam utcunque dominus ſit, qui tradit, ſi tamen non tradat rem animo alienandi, ψυχῇ τοῦ βούλεσθαι μεταθεῖναι, ut Theophilus vertit, dominium non tranſit. Tradit etiam, qui commodat, qui deponit, qui rem obligat, qui locat, qui uſumfructum dat, ſed non transfert dominium, *l. officium 9. ff. de rei vind. §. 2. & ſeqq. Inſt. Qu. mod. re contr. obl. l. 8. ff. commod. l. 35. §. 1. ff. de pign. act. l. 17. §. 1. ff. depoſ. pr. & §. 1. Inſt. de uſufr.* Unde recte Doctores dicunt: Traditio interdum facit dominum, interdum tantum poſſeſſorem, interdum nec poſſeſſorem, nec dominum, ſed aliquem tantum in poſſeſſione conſtituit. Dominum ſi rei dominus, ſi animo alienandi, & ex cauſa habili rem tradat, *h. §. l. traditionibus 20. C. de pact.* Poſſeſſorem, non dominum, ſi aut tradat non dominus, *arg. l. 54. ff. de reg. jur.* aut tradat quidem dominus, ſed tradat ex cauſa pignoris, *d. l. 35. §. 1.* emphyteuſeos *l. poſſeſſores C. de fund. patrim.* feudi *tit. 8. lib. 1. feud.* ſequeſtrationis, & precarii conceſſi ea lege, ut poſſeſſio ſit ſequeſtri, aut precario rogantis, *l. 10. §. ult. l. intereſſe 39. ff. de acq. poſſ. l. 17. §. 1. ff. depoſ. l. precario 9. l. & habet 15. §. eum qui & ll. ſeqq. ff. de precar.* Nec dominum, nec poſſeſſorem, ſi ex cauſa locati, commodati, depoſiti, aut uſusfructus tradatur res, *d. l. officium 9. §. 4. Inſt. per. qu. perſ. cu. acq.* Rei tum tenendæ poteſtatem tantum præſtat, & in poſſeſſione conſtituit. Longe aliud autem poſſidere, aliud eſſe in poſſeſſione, *l. 10. §. 1. ff. de acq. poſſ.* Poſſidet, qui ſuo nomine poſſidet. Eſt in poſſeſſione, qui alieno nomine rem detinet, & alienæ poſſeſſioni præbet tantum miniſterium, *l. quod meo 18. pr. ff. eod.* Addo *ex cauſa habili ad transferendum dominium*, quia, ut jam patet, quævis cauſa non ſufficit. Non cauſa commodati, locati, depoſiti, ſed tranſactionis, emptionis, donationis, aut dotis, *h. §.*

Et hæc quidem definitio eſt. Quod autem ad diviſionem: Traditio eſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 5

tio eſt duplex, vel Vera, vel Quaſi. Vera eſt nihil aliud, quam de manu in manum datio, ἡ ἀπὸ χειρὸς εἰς χεῖρα μετάθεσις. Quaſi, cum fingitur, aut intelligitur res data, cum res ipſa non datur, ſed cum loco traditionis aliquid intercedit, *l. ult. ff. de ſervit.* Vera rerum mobilium, ſaltem potiſſimum, immobilium, incorporalium, & quæ difficulter moveri poſſunt, quaſi traditio eſt, *d. l. ult. §. 43. & ſeq. Inſt. h. t.* Ut merces vendidi, quæ in horreo, non neceſſe eſt, ut dem eas de manu in manum. Si claves horrei dem emptori, earum tranſit proprietas *l. 74. ff. de contr. empt. l. 2. C. de per. & comm. re. vend. §. 44. Inſt. h. t.* Grot. 2. *man.* 5. *§. Gelijck oock.* Tranſit etiam, ſi quod vendidi, aut quod donavi conduco, aut ſi titulo id aut precarii aut uſusfructus retineo Et id ipſum traditio eſt. Diſerte id legibus expreſſum, *l. quiſquis 28. l. ſiquis argentum 35. §. ſed ſiquidem C. de don.* Cujac. 20. *obſ.* 27. Nec mores impedimento ſunt. Ceelbratur quidem paræmia hæc: *Niemant kan geven ende houden.* Lantrecht *van Roermonde part. 3. tit. 5. §. 1. n. 2. & ſeq. van Zutphen tit. 18. §. 7.* Coſtuymen *van Tiel part. 1. tit. 6. §. 11. & ſeq. & §. 18. van Aelſt tit. 11. §. 1. van Audenaerde tit. 8. §. 3. van Selwerdt lib. 3. §. 24. van Brugge tit. 15. §. 1. van Cortrijck tit. 14. §. 1. van Gent tit. 12. §. 1. & 4.* Sed tum inprimis hæc habet locum, cum quis cedere, & rem ceſſam eodem titulo retinere vult. *Coſtuymen van Cortrijck d. loc. van Gent d. loc. van Audenaerde d. loc.* Ceſſat, cum qui cedit, mutat cauſam poſſeſſionis, & alio eam titulo rurſum recipit poſſidendam. Unde & eleganter nonnullorum ſtatuta: *Men mach niet geven ende behouden, welverſtaende datmen wel reſerveren mach uſufruict ende bladt. Coſtuymen van Aſſenede tit. 6. §. 3. van Sluys tit. 20. §. 1. & 2.* Add. Pyrrh. *ad conſ. Aurel. tit. de donat. int. viv. 12. c. 7.* Boër. *ad conſ. Bitur. tit. de don. 2. §. 2.* Argentr. *ad conſ. Brit. art. 226. gl. 2.* Nec per conſequens audiendus Fred. à Sande *tr. 1. de feud. tit. 1. cap. 1. n. 15. & 38.* negans moribus id receptum. Forſan moribus Gelrorum non, quibus cautum diſerte, ut qui vult cedere, ita cedat, ne intra annum & diem in poſſeſſionem revertatur. *Lantr. van Zutphen d. loc. Oock ſal niemant ſijnes goets aldus weerloos werden, ten ſij dat hy uyt de poſſeßie ende beſit ſy geweken, ende binnen jaer ende dach in 't beſit desſelven goets niet weder gekomen waere.* Add. *'t Lantrecht van Roermonde part. 3. d. loc. n. 6. Coſtuymen van Utrecht tit. 28. §. 1.* Sed quorum moribus non ſancitum id, aut non ſancitum tam expreſſe, quin res & cedi & retineri poſſit, diverſo tamen

 titulo,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 5

titulo, precarii ſcilicet, aut uſusfructus, aut ſimili quovis alio, nihil puto impedimento eſt. Sufficit, ut, qui cedit, cauſam mutet poſſeſſionis. Cedat veteri & novam induat. Et nihil certe hic abſurdi. Omni ævo id licuit. Etiam olim apud Gelros. Sic vendidit Culenburgum, & in feudum iterum recepit Hubertus de Boeſinchem. Vetus charta apud Buchel. *in not. ad Hed. p.* 223. *Ego Hubertus dictus de Boeſinchem præſenti ſcripto proteſtor & recognoſco, me nobili viro R. Comiti Gelrenſi & Duci Limburgenſi caſtrum meum dictum Kulenburch de libera mea voluntate* &c. *pro C. libb. Holl. denar. hereditarie vendidiſſe in hunc modum* &c. *Ego etiam Hubertus prædictus ac mei heredes a Comite prædicto ſuisque heredibus caſtrum prædictum hereditarie tenebimus & poßidebimus jure Zutphanienſi* &c. Et ſic donatum. Sic venditum. Sic & datum quid eccleſiæ, & res iterum ab eccleſia in uſumfructum, vel precario, vel in feudum recepta. Marculf. *lib.* 2. *form. cap.* 6. *Quicquid ibidem ad præſens tam de alode parentum, vel de quolibet adtractu poßidere videor, totum & ad integrum ad præfatam baſilicam volo eſſe donatum. Ea videlicet ratione, ut dum advixero ſub uſu beneficii tantum eam, abſque ullo præjudicio, vel diminutione aliqua* &c. *excolere debeam. Poſt meum quoque, quandoquidem Deus de hac luce voluerit, diſceſſum* &c. Auctor *formularum ſecundum legem Romanam cap.* 6. *Rem proprietatis meæ ſitam in pago illo* &c. *per venditionis titulum diſtraxi. Sed poſtea mea fuit petitio, & veſtra decrevit voluntas, ut mihi ipſam rem uſufructuario ordine conſervare juberetis, quod & ita feciſtis* &c. Add. *& form. ſeq.* Et ſat multa ſunt exempla. Sic Deo, & Apoſtolis ejus Petro & Paulo, ſummo item Pontifici Petrus Comes Melgorienſis dedit integrum Comitatum, & eum iterum in feudum recepit ſub cenſu annuo. Charta apud Boſquet. eſt in *not. ad Innoc.* 3. *epiſt.* 102. Et quid dico Comitatum. Subjecit Summo Pontifici regnum Angliæ & Hiberniæ Joannes Rex Angliæ, & ab eo id ſub cenſu annuo marcarum mille aut ſterlingorum recepit rurſum in feudum. Extant ejus literæ continentes homagium & fidelitatis juramentum inter literas *Innoc.* 4. *ep.* 67. Ἀμοιβαῖα etiam in eam rem ſolebant confici inſtrumenta. Alterum ex parte ejus, qui rem, quam donabat, rogabat iterum utendam. Et id dictum *precaria.* Alterum ex parte epiſcopi, aut Abbatis, vel eccleſiæ utendam eam concedentis. Et id *præſtationis* charta, aut ut vulgo *præſtaria.* Sirmond. *ad Capit. Car. Calv. tit.* 6. Ziegler. *de dot. eccleſ. cap.* 8. §. 29. Vetus Charta Alamannica LXXIII. *Ut res quas nobis*

tradidit

tradidit Conzo, ei iterum per hanc precariam repræſtaremus. Add. *formul. Lindenbr.* 19. 20. 21. 22. *& ſeqq.* Ludovici Germaniæ Regis diploma apud Conring. *cenſ. diplom. Ludov.* p. 36. *Obtulerunt obtutibus noſtris quandam chartam præſtariam* &c. Vetus charta Alamannica, quæ eſt apud Goldaſtum LXXVII. *in antiq. Alamann. Confeſſi ſumus ante Cozpertum Præſidem & ante pagenſes noſtros, quod genitor noſter Marculſus omnem hereditatem & ſubſtantiam ſuam tradidit ad monaſterium S. Gallonis, qui conſtructus eſt in pago Arbonenſe, ubi ejus ſacrus requieſcit corpus* (ita barbare loquebantur tum) *& nos poſthac exuti de omni re paterna noſtra reveſtivimus Wolframmum monachum, & miſſum ipſorum monachorum, per tribus diebus, & per tribus noctibus, & per beneficium ipſorum monachorum reintravimus* &c. *& in ea ratione tradimus, ut ſicut debemus Regi & Comiti ſervire, ita & ipſam terram & ipſum monaſterium proſerviamus, & per beneficium ipſorum monachorum per cartulam precariam poſt nos reciperemus &c.* Alioquin & eccleſia, ſi donator non retineret rem, dabat cenſum, aut quid aliud in beneficium viciſſim. Diploma apud Hedam *hiſt. Ultraj.* p. 94. *Omnem ſui juris hereditatem, quam habuit infra Comitatum Teiſterbantiæ nuncupatum, cum omnibus ad eam pertinentibus tradidit, & donavit ſancto Martino* &c. *Dominus autem Præſul Anfridus* &c. *pro hujuſmodi traditionis remuneratione, ut firmior & ſtabilior eſſet hujuſmodi traditio, conceſſit ei ſingulis annis de ſua parte dari* XII. *libras in beneficium, dum viveret.* Sed frequentius res retenta. Et quæſo quidni? Nihil certe eſt, quod obſtat. Nemo dare & retinere poteſt, id eſt, ita retinere, ut vendendi, donandi, & idem iterum alienandi poteſtatem reſervet. Sic egregie id explicuit Carolus Magn. Imp. edicto *Ann.* DCCCI. & quod apud Baluz. eſt *tom.* I. *Capit.* p. 347. *Siquis*, inquit, *Longobardus ſtatum humanæ fragilitatis præcogitans, pro ſalute animæ ſuæ de rebus ſuis chartam donationis quamlibet facere voluerit, non ſicut hactenus fieri ſolebat, jus ſibi vendendi, commutandi, & per aliam chartam eandem rem alienandi reſervet &c. Eidem tamen, ſi voluerit, uſumfructum per precariam res traditas uſque in tempus definitum poſſidendi conceſſa ſit facultas.* Aliquid tantum interdum dabat, & quidem ſtatim qui retinebat rem, ut id eſſet argumentum tranſlati dominii. Diploma apud Buchel. *in not. ad Hed.* p. 141. *Tradidit eccleſiæ S. Martini in Trajecto ſuper altare ipſius* &c. *prædium ſuum Ortinam* &c. *poſt hæc ſtatim datis manibus epiſcopo facta eſt ipſius, atque prædictum prædium ab eo in beneficium*

recepit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 5

recepit dans ei XII. *denarios Tielenſis monetæ in ſignum, quod idem prædium jam non eſſet ſuum ſed eccleſiæ proprium.* Sed non ſemper id factitatum. Et deinde adhuc notandum, quod procedat id, quod dixi, ſi ſit donatio inter vivos, & fiat pure, & ſimpliciter. Secus eſt, ſi ſub modo, & ſi adjecta conditio. Et hinc eſt, quod loquatur ſic Albertus Comes de Muha in charta quadam veteri, quæ eſt apud Miræum *lib.* 2. *donat. Belg. c.* 86. *Innoteſcat* &c. *tam futuris quam præſentibus, quod Comes Albertus de Muha, allodium ſuum de Muha & de Waleve, cum familia & omnibus appenditiis ſuis, pro ſe & omnibus anteceſſoribus ſuis, ad honorem Dei, & beatæ Dei genitricis Mariæ, & beati Lamberti, eccleſiæ Leodienſi contulit libere & abſolute tali interveniente compoſitione, quod ipſe in priori libera & legitima poſſeſſione, quamdiu vivet, jam dictum allodium poſſidebit. Poſt mortem vero ejus, ſi decedat ſine liberis* &c.

Cæterum duo inprimis illuſtria fictionis ſunt exempla, quibus etſi non tradita, res tradita tamen fingitur, *brevis*, & *longæ* manus. *Brevis* manus fit mentio in *l.* 43. *ff. de jur. dot. Longæ* manus *in l. pecuniam* 79. *ff. de ſolut.* Fictio brevis manus eſt, cum celeritate conjungendarum inter ſe actionum una actio occultatur, *l.* 3. §. 12. *ff. de don. int. vir. & ux.* Ut ſi rem, quam mihi Sejus debet ex cauſa depoſiti, ei velim donare, non neceſſe, ut eam reddat mihi, & ego iterum ei tradam, ſed & fingitur reddidiſſe, & viciſſim ego rem donatam ei iterum tradidiſſe, §. 43. *Inſt. h. t. l. ſingularia* 15. *ff. de reb. cred.* Grot. 2. *man.* 5. §. *Want tilbaer.* Longæ manus cum rem quamlibet te juſſi ponere in conſpectu meo, *d. l.* 79. Ita enim & acquiſita & quaſi longa manu mihi tradita exiſtimatur, *d. l.* Nam & prædium ſi emerim, & in turre vicina id venditor mihi monſtret, vacuamque ejus poſſeſſionem tradat, non minus id fit meum, quam ſi eſſem ingreſſus, *l.* 1. §. *pen. l.* 18. §. 2. *ff. de acq. poſſ.* Neceſſe alioquin, ut ingrediar, & me venditor in id inducat, ut id traditum poſſit dici, *l.* 12. *C. de prob. l.* 3. §. 1. *ff. de act. empt.* Nam tradi proprie non poteſt. Opus hic fictione. Et ſufficit etiam fictio hæc, ſi ſpectes jus civile. Si jus poſtea introductum, longe alia adhuc ſymbola, & cuivis fere genti uſitatum quid ſingulare. Daci glebam terræ deferebant ad eccleſiam, *cap.* 2. *ext. de conſuet.* Scani pallio emptoris extento manibus aſſiſtentium imponebant, ut jam dixi *miſcell. exerc. cap.* 4. *n.* 36. & docent leges Scanorum *lib.* 4. *cap.* 13. Idem Sueci faciebant, qui adhibebant & baculum, quem duodecim

aſſiſten-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 5

aſſiſtentes, quos *firmatores* vocat Stiernhoök *de jur. Suec. Goth. vet.*
cap. 5. tangebant in argumentum perfecti jam contractus. Vulgo
id dictum *Skiöttning*. Stiernh. *d. loc.* Unde haud dubie *Scotatio*. A
Skiöden vel *Scioden* (unde & noſtrum *Schieten*) id eſt jacere, tradere.
Leges Jutar. *lib.* 1. *cap.* 21. *De Vader ſchal ſijn Unechte Kindt tho*
Dinge bringen &c. *unde Skiöde, id eſt, geven em ſo vele, alſe he em ge-*
ven wil, unde ſo vele, alſe eme daer geſchotet werdt, dat beholdt dat
kindt. Nam, ut dixi, & traditio hæc fiebat per jactum, & vulgo ad-
huc, qui quid tradit, dicitur Belgice *ſchieten*. *Hy moet gelt ſchieten*.
Schieten, id eſt, ſolvere. Et ſimile quid jam olim uſitatum Romanis
in gleba in jus delata ſolitis vindicare, ut in fundo univerſo, ut teſtis
eſt Gellius *lib.* 20. *noct. Attic. cap.* 10. Anſelm. *ad edict. perp. art.* 15.
§. 27. Scotatio alioquin vox barbara, ſed qua & utitur Pontifex *d.*
cap. & compilator juris Scanici *d. lib.* 4. *cap.* 13. Apud Suecos etiam
venditor ſimul formula quadam uſus, quæ & Suecice & Latine extat
apud Stiernh. *d. loc.* &, ut idem ibi auctor eſt, hodieque adhuc uſitata
in omnibus inſtrumentis, etſi baculi & glebæ jam exolevit ſolennitas.
Sæpe re mutata idem nomen tamen remanet, *arg. l.* 183. *ff. de verb.*
ſign. §. 3. *Inſt. de don.* Dicitur adhuc *Skiottning*, cum prædium alie-
natur, etſi baculi & glebæ jam exolevit ſolennitas. Et jus dotium
jam exolevit, & utimur tamen vulgo adhuc dotis vocabulo, ut verbi
gratia, cum dicimus, *Qui virginem ſtupraverit, aut eam ducat, aut do-*
tet. Effeſtucatio etiam exolevit, & tamen vox adhuc uſitata eſt, &
in pleriſque inſtrumentis adhuc verba hæc occurrunt, *van te vertijen*
met halm en mondt, præſertim cum alienatio fit prædii feudalis. Reſp.
Holl. 5. *conſ.* 60. *Ore & calamo* in priſcis inſtrumentis eſt, ut verbi
gratia apud Sande *ad conſ. Gelr. tr.* 1. *tit.* 1. *cap.* 1. *n.* 33. *Pro eo ſup-*
portavi prædicto domino Comiti 33. *jurnales terræ arabilis puri allodii*
ore & calamo ſitas apud Leguych. *Verhalmert* in inſtrumento, quod
nuper ſcriptum apud Grinnes in diœceſi Trajectina. Et *verhalmert*
nihil aliud quam tradidit, effeſtucavit. Nam *halm* eſt feſtuca. Nec
tamen neceſſe ibi, ut in ſinum emptoris, ut olim Belgis uſitatum,
mittatur feſtuca. Durat per Taxandriam & Brabantiam adhuc mos
hic, ut fiat alienatio cum ramo & ceſpite, ſive ut tradatur ceſpes ra-
mo ei infixo, aut culmo alioquin vel herba, ſi ſint prata, vel paſcua.
Wendelin. *gloſſar. ad leg. Salic. verb. Feſtuca*. Sed apud nos id exo-
levit jam, quamvis fiat adhuc mentio *van aert en grasroeringe* in ſta-
tutis Rynlandiæ *part.* 1. *art.* 22. Olim nihil uſitatius. Et argumen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 5

to tum ramus fundum tradi cum arboribus, cum virgultis, cum herbis, & ceteris, quæ ſunt ſoli. Vetus diploma, quod eſt apud Hed. *hiſt. Vltraj. p.* 94. *Mox poſt hac ſubſequenti* IV. *die, ut firmius & ſtabilius eſſe* &c. *eiſdem prænominatis teſtibus & aliis nonnullis aſtantibus ſine alicujus retractatione cum ramo & ceſpite jure rituque populari ſancitum eſt, & rationabiliter firmatum* &c. Et vetuſtiſſimus prorſus mos hic etiam Francis aliiſque. Et exempla infinita. Incerti Auctoris formulæ apud Bignonium *cap.* 43. *Miſſus ipſius fœminæ ille, ipſi miſſo monaſterii illi, per ipſum hoſtium de ipſa caſa per terram vel herbam, ſicut lex eſt, ad partem ſancti illius, viſus eſt tradidiſſe, & per ſuam feſtucam ipſum miſſum vel ipſam fœminam de ipſis rebus ſe exutos ex omnibus eſſe dixiſſe.* Eædem *cap. pen. Per herbam & terram viſus fuit tradidiſſe.* Vetus charta apud Miræum *in don. Belg. cap.* 69. *Terram prænominatam cum reditu, & quicquid de me tenebat cum virga mihi liberam reddidit, liberis ejus Ægidio & Theodorico præſentibus, qui & manus appoſuerunt, & cum patre coram me werpiverunt.* Formula apud *Lindenbrog.* 18. *In jus & dominationem jam dicti monaſterii per hanc chartulam donationis, ſive per feſtucam, atque andelangum à die præſente donamus, tradimus, atque perpetualiter in omnibus transfirmamus.* Ubi *andelangus*, non, ut putat Wendelin. *gloſſar. d. loc.* mancipatio, aut traditio eſt, ſed modus tantum aut ſymbolum, quo traditio perficitur. Nam ſi traditio aut mancipatio, dicendum idem de feſtuca (conjunguntur enim duo hæc, *per feſtucam atque per andelangum*) imo idem & de culmo, de herba, de terra. Ni fallor autem id abſurdum. Aliud res eſt, quæ traditur, aut id quod eam repræſentat. Aliud ipſa traditio. Puto fuſtem *andelangum* eſſe, aut virgam, vel baculum, quo & uſi tum temporis. Vetus formula apud *Lindenbrog.* 156. *Venit homo aliquis nomine ille ad illum manſum, quem ante hos dies per chartulam venditionis ad filium ſuum adfirmavit per oſtium & anatalia* (*anaticla* vel *anaticula* legit Carolus du Freſne *gloſſar. in Anaticla*, & cardinem, qui in foribus circumvertitur, exponit) *per herbam & vitem ei viſus tradidiſſe vel conſignaſſe* &c. *& exitum inde ſe fecit* &c. Vetus quoddam inſtrumentum, quod eſt apud Pithæum *ad leg. Salic. tit.* 63. *Vnde ejuſmodi auctoramentum prius ibidem in capitulo quodam fuſte, ut moris eſt, fecit, & poſtea eundem fuſtem ſuper altare poſuit* &c. Et vox aut Belgica aut Germanica eſt, forte ab *in de hand langen.* Nam & virgam in manus ſumunt, aut in manus iis datur, qui foras prodituri. Alienato enim prædio, qui alienaverat,

verat, exiiſſe, ſaltem ſignis ſignificaſſe, vacuam poſſeſſionem ceſſionario ſe reliquiſſe, & oſtendunt quæ jam dixi, & Formula apud *Lindenbrog*. 155. *Quantum illa epiſtola commemorat, & inſertum eſt, conſignavit, tradidit, & veſtivit, & per durpilum & feſtucam ſibi foras exitum alienum vel ſpoliatum in omnibus eſſe dixit, & omnia wirpivit.* Ubi per *durpilum* idem quod per oſtium. Nam & ita paulo ante: *Ad monaſterium illud in honorem ſanctorum illorum conſtructum, ubi Dominus ille Abbas præeſſe videtur, ac die præſente ad integrum conceſſit & confirmavit, per portas, & per oſtia* &c. *dictam donationem* &c. *Durpilus* vox Germanica, limen, veſtibulum, *een dorpel*. Marculfus: *Conſignavit, & tradidit, & veſtivit, & per durpilum & feſtucam ſibi foras exitum alienum vel ſpoliatum in omnibus eſſe dixit. Wirpivit*, id eſt, ceſſit, a noſtro *werpen*. In ſinum ceſſionarii enim mittebatur feſtuca. Marculfus: *Villas nuncupatas illas, ſitas in pago illo ſua ſpontanea voluntate nobis per feſtucam viſus eſt laiſo werpiſſe vel condonaſſe* &c. *Laiſo werpiſſe*, id eſt, in ſinum jactaſſe. Nam *laiſus* etiam vox barbara. Lex Salica *tit*. 48. *pr. & requiratur poſtea homo, qui ei non pertinet, & ſic feſtucam in laiſum jactet* &c. *Poſtea ipſe, in cujus laiſum feſtucam jactaverit* &c. Dicebant etiam *Guerpire, inverpire, verpitio, inverpitura*. Vetus inſtrumentum, quod in Bibliotheca Sebuſiana eſt *cent*. 1. *cap*. 26. *Et tunc ipſe per juſsionem Reginæ jam dictum locum in præſentia omnium inverpivit*. Aliud in eadem 1. *cap*. 41. *Et pro ipſo pretio verpitionem tibi facimus, ut facias de ipſis, quicquid volueris*. Add. *cap*. 29. *cent*. 1. *et* 93. *cent*. 3. Actus ipſe etiam dictus *affatomia* vel *adfatomia*, ut Pithæus docuit ad *leg. Salic. tit*. 48. Titulus enim de *Adfatomia* eſt. Vetus Gloſſa autem ad illum titulum: *De donationibus, quæ fiunt feſtuca in ſinum ei, cui donabatur, projecta*. Et recte ibi Pithæus. Recte & gloſſa quam adduxit. Ludovici Pii Capitulare tertium *Anni* DCCCXIX. §. 10. *De affatomia dixerunt, quod traditio fuiſſet*. Deducit vocem Wendelin. *gloſſar. ad leg. Salic*. a noſtro *vatten, aenvatten*. Et ſane non inepte. Prehenſa enim haud dubie feſtuca ab eo, in cujus ſinum jacta. Id tantum hic notandum, quod jactus hic interceſſit, ſi res eſſet cum privatis. Si cum eccleſia res ipſas, aut fuſtem aut feſtucam, aut rerum inſtrumenta imponebant altari. Bignon. *ad formul. Marculf. lib*. 1. *cap*. 1. Nec feſtucam præciſe. Etiam poculum, cultellum, aut ſymbolum quodvis aliud, librum, chirothecam &c. Et ita accipi etiam debet, quod in veteri diplomate eſt, quod Buchel. ad He-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 5

dam habet *hiſt. Vltraj. p.* 140. *Ob remedium animæ ſuæ, & mariti ſui Henrici* &c. *tradidit Eccleſiæ S. Martini in Trajecto ſuper altare ipſius, atque Conrado epiſcopo prædium ſuum Ortinam nominatum, cum omnibus appendiciis, hoc eſt, mancipiis, areis, ædificiis,* &c. Item quod apud Hed. eſt *hiſt. Vltraj. p.* 189. *Acta ſunt hæc* &c. *apud Trajectum coram altari beati Martini, ſuper quo obtuli homines meos* &c. *quos pro ſuis commutavi* &c. Add. Miræum *in don. Belg. lib.* 1. *cap.* 27. De poculo elegans eſt exemplum, quod ex veteri quadam charta Camdenus refert *in Britann. topograph. Vlphus*, inquit, *Theraldi filius eccleſiam Eboracenſem dotavit, ut legitur in veteri libro, ex quo notanda eſt ſolennis formula donationum. Dominabatur Vlphus ille in Occidentali parte Deiræ, & propter altercationem filiorum ſuorum, ſenioris & junioris, ſuper dominiis poſt mortem, mox omnes æque fecit pares, nam indilato Eboracum divertit, & cornu, quo bibere conſuevit, vino replevit, & coram altari Deo & beato Petro Apoſtolorum Principi omnes terras & reditus flexis genibus propinavit.* De cultello exemplum habet Nicolaus Camuzat in *antiq. Tricaſſ.* ex quo Zieglerus id exſcripſit *de dot. eccleſ. cap.* 10. *n.* 8. ubi plenius poteſt legi. Sed quæ huc faciunt, hæc ſunt: *Nam ipſe ultroneus* (Hugo Bardulphus) *ad altare acceſſit, & donum, ut diximus, confirmavit, quendam nigrum cultellum monachali uſui aptum ſuper altare poſuit* &c. Videtur certe id pependiſſe a cujuſvis arbitrio, quali ſigno uteretur. Chirothecis etiam uſi, gladio, calcari, ſtrigili &c. Ingulfus Abbas in *Chron. Croylandienſ: Conferebantur*, inquit, *antea multa prædia nudo verbo, abſque ſcripto, vel charta, tantum cum domini gladio, vel galea, vel cornu, vel cratera, & plurima tenementa cum calcari, cum ſtrigili, cum arcu, & nonnulla cum ſagitta.* De chirothecis diploma eſt Liemari Archiepiſcopi de VII. manſis eccleſiæ datis a Gerardo de Stumpenhuſen, quod extat apud Lambecium in *orig. Hamburg.* ubi hæc inter cetera. *Super reliquias noſtras cum chirotheca, ſicut mos eſt liberis Saxonibus, tradidit in Aſanthorp curtim ipſam, & manſos* IV. *& dimidium* &c. *Aderat comes F. Advocatus eccleſiæ, qui chirothecam traditionis ſacris reliquiis impoſitam, ut mos eſt, abſtrahit, & ab ipſo Gerhardo per digitorum extenſionem promiſſionem confirmationis accepit* &c. De regula S. Benedicti charta apud Sirmond. *in not. ad Goffrid.* 5. *epiſt.* 25. *Ubi veniens Adelardus Caſtriguntcrii Dominus, decimam portus Caſtelli ſui de vino, de qua paucis ante diebus* &c. *tunc etiam in manus noſtras in libro regulæ miſit, & per nos ſupradictum Abbatem & Monachos S. Albini reveſtivit,*

ipſum-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 5

ipſumque librum regulæ, quem in manus meas miſerat, ſuper altare ejuſdem ſancti detulit. Imo & ſe ipſos offerebant altari, cenſum promittentes & vectigal quoddam annuum, & pro licentia nubendi etiam certam quandam ſummam. Notabile exemplum apud Hedam eſt *hiſt. Ultraj. p.* 118. *Quapropter ego Berta cum ſim nobilis & ingenua* &c. *nulla neceßitate coacta humilio & dono caput meum ad altare ſancti Martini in novo monaſterio de Vtrecht, eo tenore, lege, & conditione, ut ego & omnis parentela ex me profectura perſolvamus ſingulis annis pro cenſu* 11. *denarios ſponte noſtra* &c. *Mundiburdem vero vel defenſorem alibi non requiramus niſi ad ſupradicti ſancti altare, ad defendendum ſcilicet, non ad inclinandum, ut ab omni ſervitio permaneamus liberi atque illæſi* &c. *Iterum ne omnimodo ſine reſpectu videatur ſancta Dei eccleſia pro licentia nubendi infra ſive extra concedere poteſtatem, dentur ſex denarii* &c. Aliud apud Miræum eſt *don. Belg. lib.* 1. *cap.* 18, & *cap.* 71. & 129. & *lib.* 2. *cap.* 89. Et extat etiam unum, quo ita, quæ erat libera, in ſervitutem ſe tradidit, *lib.* 2. *cap.* 17. Viam vulgo id exiſtimabant ad æternam beatitudinem. Ea invaſerat tum perſuaſio. *Sunt &*, inquit Abbas S. Gertrudis, *qui ſe Virgini matri mancipant, numella collo vel brachio injecta, alii catenula brachio aſſabricata, quam nunquam deponunt, & hi ſe mancipia dicunt Virginis matris* &c. Et hinc ad altare etiam facta manumiſſio. Nam & id Deo gratum & pium exiſtimatum. Extat formula inter formulas *ſecund. leg. Roman.* cujus hoc eſt initium: *Qui debitum ſibi nexum relaxat ſervitium, in futuro apud Dominum ſibi retribui confidat. Igitur ego in Dei nomine illa pro remedio animæ meæ, & æterna retributione, ſervum juris mei, nomine illum, ingenuum eſſe præcipio, & in ſacroſancta eccleſia beatiſſimi Sancti illius, ſub præſentia Sacerdotum ibidem conſiſtentium ante cornu Altaris ab omni vinculo ſervitutis eum abſolvo* &c.

Ad altare autem idcirco, quia ad illud fiebant preces, in eo miſſæ ſacrificium, id præcipua pars eccleſiæ, & plerumque id ſacerdotis, etiamſi eſſet laicus eccleſiæ poſſeſſor. Nam & ſæpe is poſſeſſor, & non templi ſimpliciter (nam ad quid hæc poſſeſſio?) ſed ut cenſum perciperet, ut decimas, oblationes, & quæ eccleſiis conceſſa. Vetus charta apud Miræum in *don. Belg. lib.* 1. *cap.* 83. & 87. Ziegler. *de dot. eccleſ. cap.* 1. *n.* 8. & *cap. ult. n.* 8. & *ſeqq.* Ea ratio tum temporum. Perinde, cujus eccleſia eſſet, clerici, an laici. Nam & erat res fiſci. Capitulare *de villis* Car. Magn. *cap.* 6. *Volumus, ut judices*

noſtri decimam ex omni conlaboratu pleniter donent ad eccleſias, quæ ſunt in noſtris fiſcis &c. *& non alii clerici habeant ipſas eccleſias niſi noſtri, aut de familia aut de capella noſtra.* Diſponebat, cujus eſſet, de ea pro lubitu, data etiam nonnunquam eccleſia eccleſiæ, ut oblationes ſcilicet cederent eccleſiæ cui data. Diploma apud Buchellium eſt Godeboldi epiſcopi, quo tradit is eccleſiæ S. Petri Ultrajecti eccleſiam ſui juris, ut ait, *in Hollant*, & addit, quod notandum, *quatenus ejuſdem eccleſiæ fructu eorundem fratrum* (loquitur de Canonicis) *ſublevetur indigentia* &c. & mox: *Ne vero quiſpiam hoc irritum facere, ac fratres in hujus eccleſiæ dono, ſeu proprietate lædere præſumat* &c. *rem geſtam banni mei auctoritate confirmavi, & in altare beati Petri reponi præcepi, multiſque de clero aſtantibus & de populo, ad prædictam eccleſiam Deo ſanctoque Petro manu mea in perpetuum obtuli* &c. Aliud apud Miræum eſt *d. lib. cap.* 27. ubi donat Dux Lotharingiæ monaſterio S. Georgii eccleſiam villæ Moſaci, quæ, ut ipſa habent verba, *ſine contradictione ſuæ proprietatis erat.* Add. *ibid. cap.* 61. Aliud apud Claud. du Molinet *not. ad Steph. Tornac. epiſt.* 118. Add. Miræ. *ibid. cap.* 61. Joan. Saresber. *epiſt.* 4. Et, ut addam hoc, cum eccleſiam donabant eccleſiæ, plerumque etiam eccleſiam dicebant datam altari. Nec mirum quod altari. Donationis inſtrumentum imponebant altari. Vetus charta apud *eundem d. lib. cap.* 62. *Ob cujus honorem, & animæ ſuæ redemptionem, eccleſiam in manum Ducis poſuit, & quod eum ſcivit velle, ſcilicet ut eam, cum univerſa dote ſua, altari S. Petri delegaret, ſimpliciter rogavit* &c.

Certe, ut dicam quod res eſt, quaſi quoddam tum temporis templorum commercium. Nam & hi, qui fundaverant, retinebant ut domini, & ſiqui vellent obtinere ea, obtinebant aut pretio, aut ſaltem ea lege, ut vel partem oblationum, vel cenſum ſolverent quotannis. Hincmar. *in Capit. tit.* 4. *cap.* 5. Baluz. 2. *miſc. p.* 164. *& ſeqq.* Agobard. *lib. de privil. & jur. ſacerd. cap.* 11. Strauch. 1. *amœn.* 6. *cap.* 8. Sæpe hinc de eccleſiis tot lites, tot rixæ, & animis tam infeſtis inter partes contentio. Vid. Joann. Saresberienſ. *epiſt.* 11. *& ſeqq.* Et non de nihilo, ſi attendas tot amplos & magnificos eccleſiarum proventus. Idem *epiſt.* 280. *Ego inter ceteros una eccleſia privatus ſum, quæ* XL. *marcas annuas ſolvebat anteceſſori meo.* Quæſtuoſum etiam altare erat. Et nec ſemper ſacerdotis altare univerſum. Sæpe erat aut epiſcopi, aut qui exſtruxerat patroni. Et hinc factum, quod nonnunquam eccleſiis datum ad altare etiam ipſum altare.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 5

altare. Vetus charta apud Miræum *d. lib. cap.* 37. & 63. Ivo Carnotenſis *epiſt.* 286. *Dedimus & eccleſiam S. Stephani, & omnia ad eam pertinentia, altare ſcilicet de Morentiaco cum parte ſynodi ad altare pertinentis, nec non & eccleſiam de Mandonis villa liberam a Synodo & Circada. Synodo*, id eſt, *Synodatico.* Synodaticum penſio, quam debebant epiſcopis quotannis ad Synodum convenientes Presbyteri *can. epiſcopus cum ſingulis annis diſt.* 18. *can. quando diſt.* 38. *c. epiſcopus* 35. *qu.* 6. Vetus charta apud Miræum *d. lib. cap.* 37. apud Baluz. 2. *miſc. p.* 180. Strauch. 2. *amœn.* 9. *cap.* 4. Steph. Tornacenſis *epiſt.* 282. *Circada* eſt penſio ſeu annona, quæ epiſcopo circanti, id eſt, diœceſin circumeunti & viſitanti præſtatur. Innocent. III. *lib.* 2. *epiſt.* 182. *Eccleſiam S. Petri de calvo monte, cum tribus capellis ſibi adjacentibus, eccleſiam de Sergiaco, quæ nec ſynodum, nec circadam perſolvunt.* Strauch. *d. loc.* Dicitur etiam *circatus, circatura, procuratio.* Buchel. *ad Hed.* p. 135. Ziegl. *de diacon. cap.* 17. *n.* 12. & *ſeqq.* Quæ vox ſignificatu hoc & apud veteres uſitata. Virgil. IX. *Æneid.*

Quod ſupereſt læti bene geſtis corpora rebus
Procurate viri

Sed quid dixi commercium. Etiam eccleſiæ tum in feudum conceſſæ: Imo etiam in dotem. Extat dotis conſtitutio Friderunæ reginæ uxoris Karoli III. facta apud Attiniacum *anno* Chriſti DCCCVIII. apud Baluz. *tom.* 2. *Capit. p.* 294. ubi hæc inter cetera: *Quapropter regiæ hoc munificentiæ edictum fieri, ac memoratæ ſeu dilectæ conjugi Friderunæ juſſimus dari; per quod præcipimus, atque præcipiendo jubemus, ut ſupraſcriptos fiſcos Corbiniacum ſcilicet ac Pontigonem, uti præſentialiter ad nos pertinere videntur, cum omni eorum integritate, eccleſiis videlicet præſcriptis, mancipiis utriuſque ſexus, terris cultis & incultis* &c. *perpetualiter habeat, teneat, atque poſſideat, & quicquid exinde facere voluerit, firmiſſimam in omnibus habeat poteſtatem* &c. De feudis multa exempla ſunt. Conceſſæ in feudum, quod notandum, non tantum a laicis. Etiam laicis ab Abbatibus, epiſcopis &c. Capit. Car. Calv. *tit.* 38. §. 3. *Ut miſſi noſtri per ſingulas parrochias una cum epiſcopo parrochiæ ipſius requirant de capellis & abbatiolis Dei ex caſis Dei in beneficium datis, qualis cenſus inde exeat.* Capit. excerpt. *ex leg. Longob. apud Baluz. tom.* 2. *Capit.* §. 34. *De eccleſiis, quæ inter coheredes diviſæ ſunt, conſiderandum eſt* &c. *Et ubi ad noſtrum beneficium eccleſiæ pertinentes ita diviſæ fuerint, ut deſcribantur, & nobis nuntietur.*

tietur. Beneficium ibi feudum, ut & alibi jam dixi. De Radulfo Abbate Figiacenſi Anonymus apud Baluz. 2. *miſcell. p.* 299. *Hic de honore Figiacenſis monaſterii tantum diſtribuiſſe invenitur, ut uni ſoli ſcilicet ſeniori Calmontenſi ſexaginta eccleſias cum quingentis manſis dederit, eo tantum tenore, ut cum neceſſitas poſceret, ſolo juſſu, abſque lucro alio temporali, bella Abbatis & ſuorum præliaretur. De honore*, id eſt, de bonis, de patrimonio. Ita paulo poſt *p.* 301. *Iſtum ſecutus eſt tempore prædicti Regis Roberti Abbas Rogerius, qui cum multum honorem monaſterii dederit Militibus, lignum crucis fecit*, &c. Stephan. Tornacenſ. *epiſt.* 239. *Mandavit Dominus Rex,* 1. *ut in vigilia Aſcenſionis,* 2. *ut in vigilia Pentecoſtes, ſibi cum militibus & armis, apud Meduntam forte præſto eſſe, cum expers ſim militiæ, nec milites ſim expertus.* Diploma apud Boſquet. *not. ad Innoc.* 3. *epiſt.* 102. *Dono Domino Deo, & BB. Apoſtolis ejus* &c. *me ipſum, & omnem honorem meum, tam Comitatum Subſtantionenſem* &c. Atque eo res tum redactæ, ut præſtarent etiam eccleſiæ, ne reſpublica fraudaretur, ſervitium militare.

Nec aliud certe innuunt Caroli Magni Capitularia *lib.* 5. *cap.* 214. *Et Presbyteri* &c. *non de decimis, neque de oblationibus fidelium, non de domibus, neque de atriis, vel hortis juxta eccleſiam poſitis, neque de præſcripto manſo aliquod ſervitium faciant præter eccleſiaſticum. Et ſi aliquid amplius habuerint, inde ſenioribus ſuis debitum ſervitium impendant.* Et ſic verba hæc etiam accipit Molinæus *ad ſtylum Parlamenti Pariſienſis p.* 231. *Senioribus*, ut hoc addam, id eſt, dominis, quorum res eſt. Unde & noſtrum *Sinjeur*. Ut & *Juncker* noſtrum a *junior*. Lex Longob. *lib.* 2. *tit.* 51. §. 9. *Placuit nobis, ut nullus Comes, nec eorum juniores, nullatenus præſumant alicui homini ſua teſtimonia tollere, aut extrahere* &c. Add. *lib.* 3. *tit.* 5. §. 2. & Capitulare *de villis Car. Magn. cap.* 58. In literis Ludovici Pii *tom. alter. metropol. Salisburg. p.* 10. & *ſeq. Nullus noſtrum aut juniorum noſtrorum, neque ipſum Teutpaldum Abbatem neque homines ſuos, per quaslibet injuſtas occaſiones vexare, aut calumniam quamlibet ingerere præſumat* &c. Scio non neceſſe, ut præciſe id explicetur de ſervitio militari. Poteſt etiam intelligi de cenſu, caballi paſtu, paraveredis &c. Et ſic Baluzius intelligit ad libros *Capitul. p.* 1149. Verum verba ſunt generalia, & conſtat, quod jam olim, & cum feuda adhuc incognita, incubuerit etiam eccleſiis in caſu ſummæ neceſſitatis, viarum pontiumque inſtauratio & refectio, equorum item tyronumque ad belli uſum præſtatio, *l.* 7. *C. de ſacr. eccleſ.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 5

l. 15. *l.* 18. *C. Th. de extraord. mun.* Ziegler. *de dot. eccleſ. cap.* 12. *n.* 52. *& ſeqq.* Debebat cenſum eccleſia & quæ in feudum non data, *l.* 5. *C. de ſacroſ. eccl. l.* 40. *C. Th. de epiſc. & cler.* Capit. *Car. Magn. lib.* 3. *cap.* 86. *& lib.* 4. *cap.* 37. Ziegler. *d. tr. cap.* 12. *n.* 48. Procul dubio ergo, quæ data, ut diſcrimen eſſet, præter cenſum & ſervitium militare. Multa certe argumento ſunt, & id etiam inter cetera, quod beneficia eccleſiaſtica & inter milites diſtributa, ut & patet ex adductis jam, & ex querela Berengarii Vicecomitis Narbonenſis adverſus Guifredum Archiepiſcopum Narbonenſem in Concilio Tholoſano *Ann.* MLVI. *Tunc vero caſtra*, inquit, *villas, prædia, & poſſeßiones, quæ erant in dominium præfatæ eccleſiæ, fiſcos & poſſeßiones Canonicorum, & quæque ex communia erant, abſtulit Deo & famulantibus illi, deditque diabolo ac militantibus illi. Et ita alia omnia ad Laicalem vertit cenſuram, & etiam omnes, qui ea poßident, quaſi per alodia habent paterna* &c. Extat apud Baluz. etiam *tom.* I. *Capit. p.* 590. notitia de monaſteriis, quæ militiam debebant Regi. Si ejuſmodi monaſteria, quidni & eccleſiæ? Nam certe & eccleſiæ, quæ monaſteriis ſubjectæ, quemadmodum & monaſteria, quæ viciſſim eccleſiis. Et vulgo monaſteria etiam ipſa eccleſiæ. Debebant tamen ſervitium id, quod notandum, non indiſtincte. Sed ſi habuiſſent quid præter dotem. *Aliquid amplius*, ut dicit textus, *d. lib.* 5. *Capit. cap.* 214. Amplius ſcilicet præter manſum, de quo loquitur illud caput. Nam hæc dos tum eccleſiæ, ut *ibid. pr. Sancitum eſt, ut unicuique eccleſiæ unus manſus integer abſque ſervitio attribuatur* &c. *Unus integer* recte, cum *duodecim* ſcilicet *bunnuariis* de terra arabili, item ſervo & ancilla. Nam & ita in capitulis, quæ Lotharius rex addidit ad legem *Longobard. cap.* I. *pr.* Unde & plurima monaſteria, quæ militiam non debebant. Et quædam, quæ nec dona, nec militiam debebant, ſed tantum orationes. Quarum ſeriem videre eſt in eadem notitia.

Verum durum cum videretur premere eccleſiam tam graviter, fecere aut eccleſias paulatim ſui juris, aut contulere eas aliis, & non tantum eas aliis, etiam eas monaſteriis, & hæc ipſa aut eccleſiis, aut monaſteriis viciſſim. Ad peccata ſcilicet eluenda, & ob animæ remedium. Centies id occurrit in priſcis chartis & inſtrumentis. Et non levis collatio hæc: Cenſum hac ratione debebat Abbas Abbati, eccleſia eccleſiæ. Vetus charta apud Miræum in *donat. Belg.* qua Andrenſe monaſterium Karrofenſi ſubjectum *lib.* I. *cap.* 33. *locum*

exſtruxit Andernenſem. Quem ut ad opus Dei meliorum ſemper exemplis melioraretur, eccleſiæ Karroſenſi ſubdidit, atque ut idem locus in recognitionem ſubjectionis pariter, & eleemoſynam ſui, prædictæ eccleſiæ Karroſenſi omni anno cenſum, videlicet duas marcas argenti perſolveret, conſtituit. Viginti ſolidos *Sterlingorum*, ut eſt apud Innocent. III. 2. *epiſt.* 19. Add. *d. lib. cap.* 46. & *d. lib. cap.* 87. *Quod eccleſia de Averbodio manſum unum in villa, quæ dicitur Mirla, diu legitime poſſedit, & cenſum trium ſolidorum Colonienſium eccleſiæ S. Odradis in Alem perſolvit.* Et cenſus hic pro re nata, ut vel ex his jam ſatis patet, aut ingens, aut tenuis. Urbani II. epiſtola apud Baluz. 2. *miſc.* ad Canonicos Ruthenenſes: *Vobis itaque veſtriſque ſucceſſoribus in eadem religione permanſuris ea omnia perpetuo poßidenda ſancimus, quæ in præſentiarum pro communis victus ſuſtentatione poßidere videmini, eccleſiam videlicet S. Salvatoris de Veirteiras, & eccleſiam S. Petri de Colnac, & eccleſiam S. Geraldi de Salas, univerſas præterea paratas ſive ſymbolas, quas ſynodos vocant &c. quas Ruthenenſis eccleſiæ Antiſtites &c. vobis in ſumptus veſtium conceſſerunt.* Add. Goffrid. 3. *epiſt.* 41. Ziegl. *de dot. eccleſ. cap.* 1. *n.* 8. Sæpe cenſus etiam nulla mentio. Nec, ut fieret, neceſſe. Præſtari ſolitus præſtandus tum. Carolus Calvus in præcepto pro eccleſia Gerundenſi, quod eſt apud Baluz. *in append. actor. vett. ad libros Capit. p.* 1450. *Ob abſolutionem peccatorum noſtrorum complacuit clementiæ noſtræ crebro nominatæ Gerundenſi eccleſiæ præterea quaſdam res conferre, ſeu legaliter delegare, id eſt, cellulam ſancti Clementis, una cum curtili, in quo monachi ibidem Deo famulantes labores manuum exercere videntur.* Aliud pro eadem *ibid. p.* 1404. *Inſuper etiam placuit nobis ibidem cellulam ſancti Symphoriani olim exinde abſtractam cum omnibus rebus ibidem aſpicientibus reddere. Reddimus etiam ibi quandam villam, quæ vocatur Faſiana, quam volumus ad ſuſceptionem peregrinorum, & alimonia pauperum ibidem futuris proficere temporibus &c. Conceßimus etiam ibi quaſdam cellulas, unam quæ appellatur monaſterium ſuperius, aliam monaſterium medianum, conſtructas in honore ſancti Andreæ & ſancti Nicetii, vel aliorum ſanctorum &c. Cellula* hic monaſterium. Et parum refert utrum dicas, *cella*, an *cellula*. Vid. vetus diploma, quod eſt apud Buchell. *in not. ad Hed. p.* 102. item id quod Miræus habet 2. *don. Belg. cap.* 45. Unde & monachi *cellulani*. Sidon. Apollin. *lib.* 9. *epiſt.* 3. *Frequentißimis tuis illis, & valentißimis*, inquit, *orationum munerare ſuffragiis, precum peritus inſulanarum,*

quas

quas de palaſtra congregationis eremitidis, & de ſenatu Lyrinenſium cellulanorum, in urbem quoque, cujus eccleſiæ ſacra ſuperinſpicis, tranſtuliſti.

Cellulani a cellis. Cellis enim incluſi, ut *heremitoriis* eremitæ. Boſquet. *ad Innoc.* 1. *ep.* 60. Et hæ etiam duplices. Erant in monaſterio. Et hæ proprie nihil aliud quam cubicula monachorum. Sic ut apud Græcos κοιτὼν etiam κελλίον. Scilicet abuſive. Moſchopul. κοιτὼν κυρίως μὲν οἶκος ὁ περιέχων κοίτας πολλὰς, ὡς οἱ ξενῶνες. Καταχρηστικῶς δὲ τὸ κοινῶς λεγόμενον κελλίον. Boſq. *ad Innoc.* 2. *ep.* 144. Erant etiam extra id, & vel ipſæ aut monaſteria, aut monaſterio ſubjecta, frugum ſaltem, & penoris, aliarumque rerum conditoria, ut oſtendit Brouwer. *antiq. Fuldenſ. lib.* 1. *cap.* 7. Unde & Lupus Ferrarienſis Abbas cellam S. Judoci iis verbis commendat, ut neget ipſi monaſterio eas eſſe facultates, ut ſine cellæ ejus ſubſidio diu poſſit ſubſiſtere. Namque, ut ait *epiſt.* 43. *inde cera eccleſiæ, fratribus & familiis veſtimenta, piſces, caſeus, & legumina miniſtrabantur: quibus omnibus utinam non ad duplum detrimentum domus noſtræ careremus* &c. *Obedientiæ* etiam dictæ. Item μετόχια, *Parochiæ*, ut Claud. du Molinet docet ad *Steph. Tornac. epiſt.* 118. ex regulis & conſtitutionibus monaſterii S. Genoveſæ, ubi *cap. De his, qui ad Obedientias converſantur*, præcipitur, *ut fratres, qui ad Obedientias, id eſt, Parochias commorantur, in ſingulis tres, ſi fieri poteſt, vel duo ad minus* ſint. Obedientiæ haud dubie, quod præeſſent iis monachi eo miſſi vi obedientiæ, quam debebant Abbati. Goffrid. 4. *epiſt.* 7. *Fatigati ad Obedientiam veſtram de Pinu, quam obviam habuimus, hoſpitandi gratia divertere dignum duximus. Ubi valde indignum obedientia reperimus monachum Garinum cellararium domus* &c. Et erant etiam his olim ſui Præpoſiti. *Cellarios* poſſis dicere, ut in Capitulari de villis Caroli Magni *cap.* 58. aut ſi mavis *cellararios*. Goffrid. *d. loc. Obedientiarios* Innocent. II. dicit, ut in literis, quæ extant: *Priores & Obedientiarii Cluniacenſium fratrum*. Add. & Innoc. III. 2. *epiſt.* 29. Et minimum erant duo. Ita & in celebri Abbatum collatione, quæ habita Aquisgrani *Ann.* DCCCXIV. VI. *Id. Jul.* ubi & hoc caput: *Ut Abbatibus liceat cellas habere, in quibus monachi ſint, aut canonici: & Abbas prævideat, ne minus duobus monachis ibi habitare permittat.* Templa etiam habebant, præſertim ſi ibi plures habitarent quam duo.

Vetus auctor de actis Rhabani apud Brouwer. *d. loc. Cellas quoque*, ait, *fratrum ſibi commiſſorum ornaſſe permiſſu epiſcopi templis, & importatis Sanctorum reliquiis.* Et non mirum, quod templa. Habebant, qui cellis præerant etiam curam animarum, ut ex Paparum diplomatis ibidem id oſtendit Claud. du Molinet. Unde & *cella* pro domo, quæ plures cellas in ſe continet. Innocent. III. *lib.* 2. *epiſt.* 144. *Semper Hebdomadarius in cella remaneat, cujus nomine intelligimus, interiorem ambitum, vel clauſuram, vel ſi clauſura non fuerit, loca adjacentia officinis.* Ubi *Hebdomadarius*, cui hebdomadatim res domeſtica erat curæ, & præcipue coquina. Regino *lib.* 2. *Chron. Accidit autem, ut, juxta quod mos eſt, ad coquinæ officium Hebdomadarius deputaretur.* Imo idem etiam *cella* quod eccleſia, quod templum. Vetus charta apud Baluz. *in appendice ad Capitul. p.* 1447. *Supradictumque monaſterium cum cellulis ibidem aſpicientibus, quæ nuncupantur ſic, in loco, qui dicitur Cereſius, in honore ſancti Michaëlis Archangeli, novo opere conſtructa, & in altero loco, qui dicitur Caſa Mauri, Eccleſia in honore ſancti Romani conſtructa* &c. Carolus Calvus in præcepto pro monaſterio Arulenſi: *Unde prænominatus Abba Receſindus noſtram deprecatus eſt clementiam, ut prædictum monaſterium denuo cum monachis ibi conſiſtentibus, & cum cellulis ibidem aſpicientibus, id eſt, cum eccleſia ſancti Martini* &c. *ſub noſtro reciperemus mundeburdo.* Add Innoc. III. *lib.* 3. *epiſt.* 104. *Sub noſtro*, dicit, *mundeburdo*, quod ingens privilegium. Nam eccleſia non agnoſcebat tum, ut latius dicam infra, niſi Deum & Cæſarem, aut ſaltem ſummum Pontificem. Et quod ipſi tum datum, quocunque modo datum erat ſtatim ipſius.

Alioquin, qui donabant quid, nequid laici vindicarent, imponebant altari, ſignum ſaltem & ſymbolum. Sæpe enim eccleſia ut in partes diſtracta. Tota erat laici, ſed locus, in quo altare, concha ſcilicet ſeu abſis, ut & ipſum altare, ſacerdotis, aut epiſcopi. Et id primum obſervaſſe Petrum de Marca Archiepiſcopum Pariſienſem in *not. ad Concil. Claromont. can.* 7. ex Abbone Floriacenſi, qui S. Benedicti circa Ligerim Abbas circa annum vixit M. Ziegler. notat *d. tr. cap.* 1. *n.* 7. *Certe*, inquit Abbo, *cariſſimi Principes, nec catholice loquimur, quando illam eccleſiam dico eſſe meam, ille alteram dicit eſſe ſuam, ac veluti quædam jumenta comparati jumentis inſipientibus, utraſque aliquando venales proponimus, propoſitaſque ab aliis emere non formidamus. Eſt etiam alius error graviſſimus, quo fertur*

altare

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 5

altare eſſe epiſcopi, & eccleſiam alterius cujuslibet domini &c. Satis ſic exiſtimabant ſacerdoti proſpectum, ſi factas ſaltem in altari ad ſuam ſuſtentationem oblationes perciperet, quamvis tamen ſacerdotis non eſſet quævis oblatio. Sæpe enim & conſtructa & dotata altaria, & dotata etiam ea lege, ut ſolveret ex oblationibus quotannis cenſum ſacerdos. Solveret ſcilicet vel patrono, vel alii cuicunque, *can. Eleutherius* 30. *cauſ.* 18. *qu.* 2. *can. ſiquis baſilicam* 10. *de conſecr. diſt.* 6. Ziegler. *d. tr. cap.* 5. *n.* 15. Sic in veteri diplomate Cameracenſis epiſcopus Canonicis S. Martini & Bonifacii in Trajecto duo donat altaria *Oulo* ſcilicet & *Weſterlo*, ſed, ut addit, ea lege, *ut ibi cantaturus ſacerdos duos Antwerpienſis monetæ ſolidos in feſto S. Lucæ Evangeliſtæ per ſingulos annos epiſcopo Cameracenſi perſolvat* &c. Vid. Buchel. *ad Hed. hiſt. Ultraj. p.* 159. Sæpe etiam res donata, quæ majoris momenti, imo & donata etiam rerum univerſitas. Iniquum autem, ut abſorberet id univerſum ſacerdos. Alimenta ipſi erant ſatis. Impendendum, quod ſupererat, aut hoſpitum receptioni, item pauperum alimentis, aut reſervandum ad fabricam & refectionem eccleſiæ. Ziegler. *d. tr. cap.* 11. *n.* 8. *& ſeqq.*

Et altare ergo ipſum vel liberum, vel obnoxium. Cenſui ſcilicet obnoxium ſolvendo præſuli, patrono, perſonæ, aut eccleſiæ, aut cuivis etiam alii. *Perſona* erat clericus, cujus potior pars redituum, per ſe ſacra non curans, ſed altari ſerviens per *Vicarium*. Frequens ejus mentio in priſcis inſtrumentis: Vetus charta apud Miræum *in donat. Belg. cap.* 23. *Altare villæ, quæ vulgo Andernes dicitur, ad opus monachorum cœnobii S. Salvatoris Caroſenſis, ibidem Domino famulantium omni exactionis debito liberum concedo, exceptis duobus ſolidis, quos ſingulis annis in cœna Domini huic matri eccleſiæ fratres ibi commorantes perſolvent. Aliud quoque altare, quod dicitur S. Martini, in territorio, quod dicitur Bredenarde, concedo non liberum, ſed ſub perſona.* Ibid. *cap.* 25. *Dono etiam* &c. *altare de Calderico* &c. *liberum ab omni perſona.* Add. *lib.* 2. *cap.* 26. 27. 30. *&* 36. Dixi *potior pars redituum.* Saltem plerumque. Interdum aliter id ſe habuit. Miræ. *don. Belg. lib.* 2. *cap.* 32. Plerumque etiam ex eo quid decidebat epiſcopus. Vetus charta apud eund. *lib.* 1. *cap.* 50. *Donavimus eidem monaſterio Aldenbergenſi & Abbati Hariulfo* &c. *eccleſiam S. Mariæ in eodem oppido ſitam* &c. *ſub perſonatu tenendam, tali videlicet conditione, ut jus epiſcopale, prout antea extitit, integrum permaneat, & Perſona ibidem conſtituta pontificalia & ſynodalia debita*

immobiliter perſolvat. Add. Innocent. III. 2. *epiſt.* 1. *in fin.* Atque ita interdum factum, ut ex reditibus eccleſiæ ceſſerint quædam eccleſiæ, quædam epiſcopo, quædam *Perſonæ*, quædam alii eccleſiæ, ſeu Abbati, aut monaſterio, quædam etiam Canonicis, quædam laico, aut ei, cujus olim eccleſia, ut in eadem illa charta: *Sane Cononi nobili viro (cujus benevola conceſſione, & pia petitione, hanc ipſam eccleſiam Abbati præfato, & monachis ejus contradimus) ſeu ſucceſſoribus novem libras denariorum annuatim* (loquitur de Perſona) *perſolvat: ex quibus tamen novem libris novem ſolidos quotannis retentabit: ex quibus, ut hactenus factum eſt, debitum epiſcopale compenſabit* &c. Add. *cap.* 62. *in fin. cap.* 68. 127. *ut & lib.* 2. *cap.* 32. *&* 36. item Abonis canones apud Mabillon. 2. *analect. p.* 293.

Deteſtandum hinc commercium, multarum cauſa querelarum, & non minor quam olim, *Perſonis* nondum adhuc notis. Ut dixi, olim altaria, eccleſiæ, beneficia in laicorum etiam manu. Reddiderunt hi eccleſiis quidem, moti tandem religione, quod injuſte occupabant, ſed ſic ut venderent, aut locarent, aut numerata pecunia, aut cenſu annuo conſtituto, aut inducto *Perſonatu.* Chronic. Phanopinenſe. *Noſter igitur Saſualo hujus Phanopini pagi gentilitium tenebat Sacerdotium, quod non infrequens erat apud hujus ſeculi generoſos, ipſis Pontificibus præſulibuſque conniventibus, & forſan ultro deferentibus.* Joan. Sarisberienſ. *lib.* 7. *Polycrat. cap.* 12. *Nolunt Sacerdotio dominari, & ſervire altario, qui de altario vivunt, ſed perſonatus quoſdam introduxerunt, quorum jure ad alium referuntur onera, ad alium emolumenta.* Ivo Carnotenſis *epiſt.* 12. *Apud nos qui altari non ſerviunt, de altari vivunt, a quo ſacrilegio ſi eos abſterrere velim, monendo, increpando, excommunicando, altaria a me redimere volunt, ſub nomine perſonæ, ſicut a prædeceſſoribus meis ex prava conſuetudine redemerunt* &c. *Non enim tunc*, ut ait Chronicon Mauriacenſe, *quæſtio de Simonia ſic ventilata erat, ſicut poſterorum diligentia factum eſt; ſed ſiquid eccleſiaſticum a ſecularibus hominibus emeretur, non emptio, ſed redemptio vocabatur.* Redemptio hæc altarium. Goffrid. Vindocinenſis 3. *epiſt.* 12. Vetita ab Urbano Papa in Concilio Arvernenſi. Goffrid. *d. loc.* & Sirmond. *ibid.* Redemptio etiam altarium, quod pro ingreſſu, ut vaſallus, Perſonæ decedentis ſucceſſor præſtabat.

Εἰσδεκτικὰ vocat Leo Imp. Faciunt eo verba Concilii Arvernenſis, quę occurrunt apud Gratianum *c. quæſitum* 1. *qu.* 3. *Quidam Simoniacæ pravitatis uſus in Galliarum partibus jam diutius inolevit, ut eccle-*

ſiæ, ve l

ſiæ, vel decimæ, quæ vulgari vocabulo apud eos altaria nuncupantur, monaſteriis datæ, ſæpius ab epiſcopis, ſub palliata avaritia vendantur, mortuis nimirum, ſeu mutatis clericis, quas perſonas vocant. Et, puto, eo reſpexit etiam Innocent. III. 2. *epiſt.* 1. *in fin. Cenſum quinque marcarum ad pondus Colonienſe, in feſto Purificationis beatæ Virginis, Abbati & ſucceſſoribus ſuis annuatim perſolvat, & perſonatibus ac eccleſiis ejuſdem balivæ jam dicti Abbatis, & ſucceſſorum ſuorum donationi liberæ reſervatis* &c. Redimebant pro re nata & unus & plures. Et clerici etiam a clericis. Nam & plurium perſonatus. Et perſonatus aut territorium, quod eccleſię conceſſum, aut jus & emolumentum, quod competebat *Perſonæ*. Diploma Godefridi Cameracenſis epiſcopi, quod apud Miręum 1. *don. Belg. cap.* 100. *Ut ad hoc adhiberent aſſenſum quod in perſonatu ſuo de Papengiem, in terra dicti militis, in loco* &c. *Abbatia monialium Ciſtercienſis ordinis fundaretur* &c. Aliud apud eundem *d. lib. cap.* 28. *Obſecrans, ut altare de Wervy, quod ſub Perſonatu tenebat, eidem eccleſiæ ad uſus ſupradictorum fratrum, perpetuo ſub perſonatu tenendum concederemus* &c. *Conceſſimus itaque ego ſcilicet, & Walterus Archidiaconus prædictum altare Islenſis eccleſiæ fratribus, tam futuris, quam præſentibus perpetuo ſub perſonatu tenendum* &c. Add. *lib.* 2. *cap.* 48.

Ut autem & hoc addam. *Vicariarum* hęc origo. Perſona prębendata erat, ſed ſacra hęc non curabat. Curabat *Vicarius*. Hic autem conductus, aut conductitius ſacerdos, ut Joan. Sariſberienſis dicit *epiſt.* 1. cujus lucrum non magnum. Stephan. Tornacenſis *epiſt.* 195. *Cui Capitulum noſtrum vicariam unam in majori Altari contulerat, aſſignato ei beneficio a quodam Burgenſe, unde ſufficienti mediocritate ſacerdotaliter vivere poſſet. Eum mihi præſentaverunt Canonici ad titulum majoris Altaris ordinandum* &c. Si quęratur porro ratio cur dicatur *Perſona*, ſacra curans per *Vicarium*, haud dubie non eſt alia, quam quod juxta jus Quiritium proprie olim Perſonæ, qui erant liberi, non ſervi *arg. l.* 3. *pr. ff. de her. inſt. pr. Inſt. de ſtip. ſerv. l.* 32. *ff. de reg. jur.* Theoph. *d. pr.* οἱ οἰκέται ἀπρόσωποι ὄντες ἐκ τῶν προσώπων τῶν οἰκείων δεσπότων χαρακτηρίζονται. Caſſiod. 6. *var. cap.* 8. *Quid enim prius facerent inter ſervos jura publica, qui perſonam legibus non habebant. Proprie* dico. Nam & ſervi latius ſumpto vocabulo ita interdum dicti, *l.* 22. *ff. de reg. jur. l.* 1. *C. ſi per vim. l.* 215. *ff. de verb. ſign. l.* 3. *ff. neq. e. qu. in jus voc.* Sequiore dein ſeculo *perſonæ* & *perſonati* nobiliores ſolum dicti. Geſta *conſulum Andegavenſ. in Fulcon. Affuit autem tunc inter alios proconſulares & perſonatos viros.* Et tandem qui

in cle-

in clero præ ceteris conſpicui & ſummates, *Perſonæ*, & *Perſonatus* eorum dignitas, *cap. ad aures ext. de reſcript.* Joan. Sarisber. *epiſt.* 11. *Aſſerens eccleſiam ſuam eſſe, & ſe perſonam ejus, a tempore bonæ memoriæ Mauricii Londinenſis epiſcopi extitiſſe.* Lindenbr. *in gloſſ. in voc. Perſonam.* Boſquet. *ad Innocent.* 1. *epiſt.* 54.

Et hęc quidem &c.

COROLLARIA. I.

Nec concubinatus, nec meretriciæ conjunctiones, nec lupanaria jure civili permiſſa ſunt.

II.

Nemini ſe ipſum occidere licet, ne alium quidem ad bona defendenda.

III.

Uſucapio eſt juſtus modus acquirendi rerum dominium ex omni jure.

IV.

Inviti adoleſcentes curatores non accipiunt.

V.

Suſpectus tutor remotus ob latam culpam fit infamis.

VI.

Cedendo uſumfructum extraneo nihil agitur, remanet enim apud cedentem. §. 3. Inſt. de uſufr.

VII.

Contractus non poteſt celebrari in teſtamento.

VIII.

Legato genere Electio eſt legatarii.

IX.

Periculum rei Venditæ, & nondum traditæ ad Emptorem pertinet. §. 3. Inſt. de Empt. & Vendit. Ideoque Venditor præciſe (modo tradendi facultatem habeat) cogi poteſt ad traditionem rei Venditæ l. 6. Cod. de Reſcind. Vendit.

X.

Mandatarius, commodatarius, negotiorum geſtor præſtant dolum & omnem culpam.

XI.

Mandator Vulneris cæde ſubſecuta tenetur etiam de cæde.

XII.

In delictis Voluntas pro facto habetur.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 5

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 5

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 5

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 5